

1522

num fuisse; pace alitam Rempublicam, cum omnibus Principibus illam inviolatam servare; nusquam ad arma, nisi lacescitam descendisse; summopere cupere, cum eo praesertim Imperatore, qui omnibus regiis virtutibus sit excultus, cum quo eximia virtus cum summa fortuna conjuncta sit, pacem habere; proinde conditiones, quae justitiae, & aequitati consentiant, libenti animo amplexuram. Ceterum, quod ad Gallos ab Insubribus repellendos, si in Italiam armati descendant, pertinet, ea de re, nisi prius de illis, quae ad statum Christianae Rempublicae, resque Italicas firmandas, attinent, agatur, nihil certi a Senatu responderi posse. Hujusmodi consulto in Senatu recitato, antequam in suffragia iretur, Lucas Tronus consilii Sapiens ita contra dicere est exorsus.

Lucæ Troni
oratio.

Si rerum humanarum idem semper esset status, Patres Amplissimi, neque variantis fortunae vicissitudinibus, veluti fluctibus, involverentur; eisdem eventibus eadem semper consilia adhibenda forent; neque publicarum, privatarumque actionum regina, atque administratrix prudentia, quae semper in hoc augustissimo Senatu viguit, tantum in libertate tuenda, atque in vestro regendo, ac provebendo imperio valuisset. Verum ea demum sapientissimorum, ac praestantissimorum civium summa virtus semper habita est, ad tempora, rerumque mutationes decreta quoque, atque consilia immutare, neque ita suis sensibus inherere, ut ab illis nulla, neque ratione, neque auctoritate divelli queant, quorum hoc pertinaciae, illud verae constantiae nomen mihi mereri videtur. Jam satis, Patres optimi, Gallis favimus; jam omnia a nobis verae fidei, atque amicitiae argumenta praestita sunt; foederibus, quae cum illis nobiscum intercesserant, abunde satisfactum est; commeatu, pecunia, viribus a nobis adjuti sunt; ut in Mediolani possessione retinerentur, nihil praetermissum: armis Carolum, cum quo nobis induciae erant, lacescere veriti non fuimus; Leonis Pontificis Maximi conatibus adversi fuimus. Vel hostium virtute, vel Ducum pravis consiliis, vel fortuna, quae omnia in bellis potest, Galli devicti sunt; Italia vel ejecti. Vel sponte cedentes abiere; vix parvae reliquiae in Insubribus modo adsum, quae cito a Casareanis conficientur. Gallorum, Rex, qui, Mediolano stante, saepius se cum ingenti exercitu equitum, ac peditum transgres-

su-